HIERONYMUS
Klosterneuburg, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 170r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=446
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Explicit liber xii. Incip. xiii.

Tercius decimus explanationum in Ezechielem lib. secundus est ex positionis templi. quem et quartum decimum opitulante saluatore nostro ad finem usque dictare cupio illud eiusdem numeri cum dauid. in xiii. psalmo canens. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo. au. q. r. in m. sancto tuo. Quod et pro difficili et impossibili debemus accipere. unde et in alio loco quasi uir desideriorum enixius deprecatur ac dicit. Unum petiui a domino. hoc requiram ut inhabitem in domo domini omnibus diebus uite mee. ut uideam iocunditatem domini. et uisitem templum sanctum eius. Et rursum. Quam dilecta inquit tabernacula tua. d. u. concupiscit. et d. a. m. in atris domini. Emulorum maledicta preuenio quia non quod ipsi possint. sed quod ego non possim considerant. et cum nostra diiudicent sua iudicanda non probent. numquam in agone pugnantes sed de pugnantibus ocioso immo superbo iudicantes. facile est dare dictata de pplo. et singulos ictus calumpniari ac de alieno ridere sanguine. et ubi uulnus infigi debuerit imperiti laniste more disserere. Ego in explanatione templi Ezechielis. et ceterorum que ad finem ipsius uolumis pertinent fateor me pro rei magnitudine. nichil dignum scribere. et in paucis. si quatenus accipere meruero. gratias agere saluatori. Scriptum est enim. nisi credideritis. non intelligetis. Et in alio loco si habueritis fidem ut granum synapis. et dixeritis monti huic transmigra. et explantare in mari. fiet. Et quomodo apostolus granum synapis non modicam fidei portionem sed totam fidem esse cum memorat dicens. et si totam fidem habuero. ita ut montes transferam. Igitur granum synapis. et si modicum fuerit in magnam crescit arborem. et uolatilia celi habitant in ramis eius. Quam obrem tibi filia eustochium. que nostra qualiacumque fuerint libenter accipis. cum testatum uolo. et illud rethoris uictorini. breuiter ammoneo ut obscuritatem uoluminum ex tribus rebus fieri scias. uel rei magnitudine uel doctoris imperitia uel audientis duricia. quorum primum et secundum liquido in hoc opere confitebor tercium acumen ingenii tui. et desiderium scripturarum facile renuit que priuilegio uirginali et uicti continentia non dicam frequentem sed uigem hospitem possides dominum. Igitur tercium decimum in Ezechiel arripiamus librum. cuius hoc principium est.

xli.

Et eduxit me in atrium exterius ad uiam ducentem ad aquilonem. et induxit me in galophilatium quod erat contra separatum edificium. et contra edem uergentem ad aquilonem. in facie longitudinis centum cubitos ostii aquilonis. et latitudinis quinquaginta cubitos centum xx cubitos atrii interioris. et contra pauimentum stratum lapide atrii exterioris. ubi erat porticus iuncta porticui triplici. et ante galophylacia de ambulatio. x. cubitorum latitudinis ad interiora respiciens uie cubiti unius. et ostia earum ad aquilonem. ubi erant galophylatia in superioribus humiliora que subportabant porticus que ex illis eminebant de inferioribus. et mediis edificiis. Tristega enim erant. et non habebant columpnas sicut erant columpne atriorum. propterea eminebant de inferioribus et de mediis atriis atra cubitis. l. et per ybolus exterior secundum